



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Jllustrissimo Ac Excellentissimo Domino, Domino Ferdinando S. R. I. Comiti
De Plettenberg Wittem & Egh, Domino In Nortkirchen, Meinhövel
Davensperg & Alroht, Sacræ Cæsareæ & Catholicæ Majestatis Nec ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

JLLUSTRISSIMO
AC
EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO
FERDINANDO

S. R. I. COMITI
De PLETTENBERG WITTEM & EGH,
DOMINO
IN NORTKIRCHEN MEINHÖVEL
DAVENSPERG & ALROHT,
SACRÆ CÆSARÆ & CATHOLICÆ MAJESTATIS

NEC NON
SERENISSIMI *ac* POTENTISSIMI ELECTORIS BAV.
CONSILIARIO INTIMO,

SERENISSIMI, *atque* EMINENTISSIMI ELECTORIS
COLONIENSIS
MINISTRO STATUS PRIMO

&
SUPREMO CAMERARIO,
DIOECESIS MONASTERIENSIS
MARESCHALLO HÆREDITARIO,

DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO.



ILLUSTRISSIME
^{AC}
EXCELLENTISSIME
DOMINE, DOMINE
GRATIOSISSIME.



Quod olim *Genti* Hebraicæ ,
post siccum maris Erythræi trans-
itum , spissas inter , & plus quàm
cimmericas provectæ jam noctis
tenebras per desertum erranti ,
fuit *Columna* , ignibus copiosissimis
circum undique illustrata divini-
tus, Id mihi erit *Nominis Tui* splendor amplissimus,
ILLU-

ILLUSTRISSE, & EXCELLENTISSE DO-
MINE, Si Illud meis hisce Theſibus, & depromptis
ex Jure tum Cæsareo, tum Pontificio verioris, ut
equidem existimo, doctrinæ placitis illustrandis
gratiosissimè volueris indulgere: Erranti siquidem
mihi plures jam annos per utriusque Jurispruden-
tiæ, tam sacræ, quàm profanæ, non deferta qui-
dem, sed amœna viridaria, Luce opus esse animad-
verto clariore, quâ Ductrice ex ancipiti viarum in
ipsis adèd viridariis hisce occurrentium, dubioque
flexu eluctatus, planum deinceps iter habeam, &
minimè impeditum ad præfixam Studiis meis, ac
laboribus metam. Et à quo plus ego splendoris,
plus sinceræ lucis, plus firmitatis haurire valeam,
quàm ab Illustrissimo Nomine TUO, quod rectè
Columnam dixero, lucidissimis omnino avitæ Stirpis,
Virtutisque TUÆ Heroicæ fulgoribus coruscantem? Et
sanè innititur TIBI, velut *Columnæ* firmissimæ, om-
nis Patriæ Nostræ felicitas, & beatitudo. *Ardentem*
verò hanc *Columnam* efficiunt coruscantes omni
ex parte Virtutes tuæ, excelsa pietas, mira in ri-
mandis negotiorum viis sagacitas, constans in ca-
pessendis arduis magnitudo, acre in gerendis rebus
consilium, summus Justitiæ amor ac studium,
atque rara, etiam ad pauperrimos se se demittens
humanitas. Testem appello Patriam, testes ad-
duco universas, quibus ut *supremus Minister* præ-
esse dignosceris, Provincias: integri Electoratus
& Episcopatus ut *Columnam* non modò solidis virtuti-
bus *firmam*, sed etiam summis Naturæ dotibus quasi
luci-

lucidissimo igne *coruscantem*, qua protegente securè
quiescunt, & qua dirigente feliciter procedunt, Te sus-
piciunt. Specialiter autem meos perstrinxit oculos
lucidissimus ille singularis Benevolentiae Tuæ radius,
qua Sublimiorum præcipuè scientiarum Candida-
tos amplecteris, & velut alter Phœbus doctos
omnigenæ Eruditionis *Tuæ* radiis foves, & recreas,
indoctos verò, veluti luce *Tuâ* indignos tenebri-
ones, procul à Te jubes abesse. Certè Scientiarum
tantus semper exististi & Cultor, & Amator, ut Ex-
emplò non solum *Tuo*, quod Magnetis instar fer-
rea quoque pectora in sui pertrahit sequelam,
animares alios ad labores ut ut arduos, modò
doctos, & eruditos, sed præmiis etiam allice-
res, quibùs eos ornasti amplissimìs: ut proin jure
confidam, quòd & mihi, semper pro viribus an-
helanti avidè ad veram, & genuinam, quam
scientia parit, gloriam, futurus sis *Columnæ* in-
star *lucidissimæ*, cujus magnitudine meam fulci-
re valeam parvitatem, cujus splendore *Theses*
meas reddere possim illustriores. Abstineo pluri-
bus, ne Patrocinii Tui, quod impensius ambio,
fructu excidam, quippe qui mavis Beneficia Tua sen-
tiri, quàm prædicari. Tantus cum sis, ILLUST-
RISSIME, & EXCELLENTISSIME DOMINE,
non solum de Themide, & Curia bene meritus, sed
etiam optimè meritus de omnibus severioris Littera-
turæ Candidatis, qui ardentè Tibi diliguntur, at-
que etiam munificè, liceat mihi pro Tua in omnes
Humanitate has *Nomini Tuo* Illustrissimo *Theses*
in-scri-

inscribere, & à Te, qui *Columnæ* instar *lucidissimæ*
effulges, aliquam laboribus meis lucem mutuare,
cujus splendore mea irradietur obscuritas; & nisi me
vehementer fallat Excelsi animi *Tui* indoles, non fi-
nes, ut liberalius ego petiisse, quàm Tu præbuisse di-
caris. Hac spe fretus, me, & mea hæc pauca folia,
in sinum ILLUSTRISSIMÆ CLEMENTIÆ TUÆ
conjicio. Accipe proin, & gratiosissimo annutu meum
dignare obsequium, quocum Tibi me totum demis-
issimè offero, unaque DEUM Ter Optimum Ma-
ximum impensissimè precor, ut Illustrissimam EX-
CELLENTIAM TUAM, Maximum totius Patriæ
Bonum, quàm diutissimè salvam & incolumem, sem-
pèrque mihi faventem conservet. Ita voveo

ILLUSTRISSIMÆ
EXCELLENTIÆ TUÆ

Clientum infimus

JOANNES FERDINANDUS IGNATIUS
VOGELIUS J. U. Candidatus.